Concluſiones Feudales,

Ex difficili c. Titius tit. 26. lib 2. F. deſumptæ,

QUAS

Divina aſpirante gratiâ

EX CONSENSU ET AUTO-
ritate ampliſſimi Iuriſconſultorum ordinis, in il-
luſtri Tubingenſi Academia;

SUB PRÆSIDIO

*NOBILIS, CLARIS-
ſimi & Conſultiſſimi viri,*

DN. HENRICI BO-
CERI, I. V. D. ET ANTECESSORIS

Inclytæ Tubingenſis Academiæ celeberrimi, necnon
Ducatus VVirtembergici Tribunalis Aſſeſſoris digniſſimi,
Præceptoris ac Patroni ſui debitâ animi ſub-
iectione proſequendi,

AD

Diem IV. Februarii

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN AUDITORIO JURECONSULTO-
rum, Publico Examini, exercitii gra-
tia proponit

*Martinus Gallius Styro-
muravienſis.*

TUBINGÆ,
TYPIS CELLIANIS.

ANNO M. DC. IX.

NOBILISSIMIS, CLARISSIMIS, OMNIQUE VIRTUTUM ET ERUDITIONIS LAUDE CONSPICUIS VIRIS:

Dn. Maximiliano ab Heſs
Dn. Ioan-Friderico à Freyberg.
Dn. Helffrido à Freyberg.
Dn. Georgio Rudolpho von d' Sahla
Dn. Henrico Bauhoff. I. V. D.
Dn. Ioanni Fritzlino I. V. Doctorádo
Dn. Gedeoni Fiſcher.

Dn. Pancratio Cretſchmero.
Dn. Melchiori Beslino.
Dn. Andreæ Stebio
Dn. Philippo Scheller
Dn. Ioh. Chriſtophoro Maier.
Dn. Franciſco Hoffleiner.
Dn. Benedicto Zalnpaum,

Fautoribus, amicis, & commenſalibus ſuis, omni animi obſervantia colendis,

FEUDALEM HANC DISPUTATIONEM,

IN

Obſervantiæ teſſeram, amoris pignus, ſuique perpetuam memoriam,

OFFERT, DICAT, CONSECRAT,

Martinus Gallius Styro-Muravienſis, Autor & Reſpondens.

DISPVTATIO FEVDALIS,

DE

Redimendo, & revocando Feudo,

Proœmium.

Q*Vemadmodum in orbe cæleſti, non vna & par omnium ſtellarum eſt præſtantia, ſed vna alteram ſplendore ſuo, multis paraſangis antecellit: ſicuti quoq; non eadem omnium eiuſdem generis arborum eſt in ſpecie dignitas, ſed alia aliam, quâ venuſtate ſua, qua utilitate longè ſuperat Ita magnam eſſe diverſitatem materiarum, in Iuriſprudentia noſtra, nemo eſt ejus cognitione vel leviter tinctus, qui non animadvertat. Sive enim verſamur in vmbratili & ſcholaſtico ſtudiorum genere in ſcholis, ſive prodeamus in forum, & controverſiarum forenſium altius meditemur deciſiones, in proclivi eſt videre, multùm à ſe invicem, & toto, quod dicitur cœlo, diſcrepare argumenta rerum, à veteribus Iuriſconſultis & Impp.*

inculcatarum. Inter cæteras verò Iuris partes, feudorum conſuetudines quæ tàm ex tacita, quam expreſſa Impp. confirmatione, eandem cum Iure civili vim & autoritatem acceperunt, haud poſtremum locum obtinent, quæ quidem prima fronte parùm promittere videntur non intelligentibus, quippe paucis comprehenſæ pagellis, in receſſu tamen grandius vber habent. Teſtatur abundè vſus fori cottidianus, ubi cognitione cauſarum feudalium, quæ ex feudali materia ceu Equo Trojano prodeunt, nihil gravius. Rerum & exemplorum argumentis & ponderibus hoc teſtatum facere, & oculis ſubjicere, tàm facilè eſſet, quàm Imber eſſe poteſt, ubi pluit. Quare & mihi de materia quadam utili cogitanti, aliquot quæſtiunculas, de Revocatione feudi, inprimis eas, quæ ex difficili tit. cap. Titius 26. lib. 2. feud. naſcuntur, in ſcenam publicè producere placuit. Conatui meo clementer adſit DEVS, quem in vota voco.

THESIS
I.

CAuſa revocationis Vaſallo competentis deſcendit ex Jure ſuo, non quidem perſonali (*a*) ſed reali, quod in utili, ut vocant vulgò, dominio (*b*) & rei feudalis poſſeſſione (*c*) conſiſtit.

a) Quod in reciproca fidelitatis vice reſidet *tit. 6. & 7. lib. 2. feud.* Vbi ſex recenſentur capita, ad quæ dominus & Vaſal-

Vaſallus, mutua fide ſe conſtringere tenentur. *(b)* quod in commodorum perceptione, & feudi incrementis, tàm latentibus, quàm apparentibus conſiſtit. *§. ſi quis de manſo, tit. 4. lib 1 feud.* quod non eſt in uſufructuario *text in l. item ſi fundi 9 §. 4. in fine ff. de Vſufructu.* Cuius rei ratio non eſt alia, quàm quod Vaſallus plus Iuris in feudo obtineat, quàm uſufructuarius in fundo vſufructuario. Hic enim ſola perceptione fructus ſuos facit, cum vſusfructus ex fruendo id eſt facto ejus qui utitur fruitur conſiſtat. *l. 1. ff. quando dies legati cedat:* ille verò etiam nondum perceptos, pro rata temporis ad ſuos heredes tranſmittat, ſecundùm diſpoſitionem *§. his conſequenter. tit. 28. lib. 2. feud.* Niſi aliud inter dominum & Vaſallum circa incrementorum perceptionem ſit actum, argumento. *l. ſemper in ſtipulationib. 35. ff. de V. O. Molineus ad Conſuetudines Pariſ. §. 1. gloſ. 5. num. 108.* Vel niſi Dominus ſibi Aliquid in Curte reſervârit. *d. lib. 4. §. ſi quis de manſo.* Reſervatio enim facta in vno, cenſetur abdicatio aliorum *Schrad. de feud. part. 10. ſect 3. in fin.* Incrementum intellige naturale, quod videlicet per alluvionem feudali prædio accedit. Hoc enim feudi Iure ad Vaſallum pertinet. *d. §. ſi quis de manſo, ibi:* Iure feudi fidelis obtinebit, &c. Non quod facto vaſalli interveniente acceſſit, id enim proprietatis jure ad Vaſallum pertinet, modò ſeparari poſſit. *§. Econtrario tit. 8. lib. 2. feud.* Sin ſecus, Iure feudi ad ipſum pertinet *d. loco.* An verò incrementum novum, nova indigeat inveſtitura, quærunt Dd? Id quod negatur communiter, quia illud quod accedit rei, naturam & conditionem principalis imitatur *l. ſi ego 11. §. quod tamen ff. de Publ. in rem act. Matth. de Afflict. Alvarott. & Prapoſ. in d. §. ſi quis de manſo. Schrad. part. 6. cap 1 n. 16.* Ex quo effloreſcit etiam illud quod nova incrementa, novis ſervitiis non oneranda, cum ſint eiuſdem naturæ, nec res alienæ à feudo, *l. unica C. de alluvionib.* vnde non niſi ſervitium ſolitum debetur de iſto feudo. *And. de Iſer. ad dict. §. ſi quis de manſo.* quanquam non deſint, qui hoc in caſu variè diſtinguant, *de quo vide Alvarott. ad d. §. ſi quis de manſo num. 7. Matth. de Afflict. ibid. num. 42. Prapoſit eod. loco Schrad de feud. part. 5. cap. 6. num. 28. Rittersh. in partit. feud. cap. 2. quæſt. 5.* Hiſce

non accenſendus eſt theſaurus, in prædio Feudali inventus, is enim ad ſoli dominum totus pertinet §. *theſaurus v. vſ. at ſi quis, Inſt: de rerum diviſ. l. unica verſ. cum locorum domino, C. de theſauris lib. 10* qualis non eſt Vaſallus, quamvis reſpectu utendi fruendi utilem rei vindicationem habeat *tit. 8. §. Econtrario lib. 2. feud.* (c) eaque tam civili quàm naturali, cum duo in ſolidum rem numero & ſpecie eandem poſſidere nequeant *l. 3. §. ex contrario. ff. de acq. vel amittend. poſſeß.* nec ex naturali poſſeſſione Vaſalli civilis domini poſſeſſio colligatur, uti docet Clariſs. Dn. Praeſes Praecept. honorand. *claſ. 4. diſp. 18. th. 16. Vide Roſenth. de feudis cap. 5. concluſ 1. num. 10. Rittersh. in partit. feud. lib. 2. cap. 2. num. 2* Hanc autem non per ſolam inveſtituram, ſed per traditionem adipiſcitur, aliàs Feudiſta *in tit. 7. in fine lib. 2. feud.* abſurditatis vitium non effugeret, quod procedit adeò, ut etiam *l. quoties C. de rei vindic.* locum hic relinquere non ſit erubeſcendum: cum perſonalis illa obligatio, ſiquidem rem non afficiat, eius alienationem impedire non poſſit *text. in l. ff. ſi tibi C. de heredit. vel actio. vendit.* Sed ad petendum duntaxat intereſſe proſit *l. ita quis §. ea lege ff. de V. O.* nec tunc quidem, ubi in prima inveſtitura clauſula, ſalvo iure tertii, ſit uſus inveſtiens, proteſtatio namque non poteſt conſervare illud, quod ab initio nullum eſt. *argumento l. 1. ff. comun. prædiorum*, ſed ſolummodò confert ad impetrandum intereſſe. *Andr. de Iſern. & Alvarott. in cap. ſi facta, tit. 26. lib. 2. feud. num. 9. Matth. de Afflict ibidem num. 34. Prepoſ. & Laud. Iacob. de S. Georgio tractat. de feud. verſ. inveſtivit talem, n. 4. Schrad. de feud. part. 5. cap. 2. num. 19. Hartm. Piſtoris part. 2. quæſt. 29. per totum. Zaſius de feudis, parte 6. num. 13.* niſi poſſeſſio ſecundò ſit cum conditione tradita, ſi videlicet primus eam petierit, tunc enim primus praefertur. *Zaſius d. loco,* vel niſi primus cum Vaſallo poſſeſſore, ſit ſimultaneè inveſtitus, quod Iure Saxonico introductum eſt, *artic. 8.* Landtrecht *lib. 1.*

II.

Hujus beneficio, utilis non modò rei vindicatio, Vaſallo competit.

Tit. 8. §. rei autem lib. 2. feud. quæ quamvis utilis ſit,

sun-

eundem tamen cum directa, Iuris effectum habet, *teſte Curtio de feudis part. 2. princip. quæſt. 10. Claro §. feudum quæſt. 89:* Hinc interdictis aget non modò adipiſcendæ poſſeſſionis: Vaſallus quippe cum poſſideat, quidni interdictis experiri valeret? *arg. §. 1. Inſt. de interdict.* Verùm etiam retinendæ, *tit. 26. §. inter filiam & tit. 51. §. ſi contentio lib 2 feud.* & recuperandæ ad exemplum uſufructuarii *l. 3. §. in id quod pervenit. ff. de vi & vi armata.* cujus tamen jus, multis gradibus eſt inferius Iure Vaſalli. An verò recuperandæ interdictum, adverſus dominum inſtituere valeat, dubitant Dd. *Negat hoc Clariſſ. Dn. Præſes, in claſſ. 4. diſp. 16. theſ. 41.* Cuius ſententia iuris textibus & rationi conſentanea eſt. *tit. 33. § ſimiliter & tit. 25. lib. 2. feud. in fine.* Ex quibus de reverentia domino exhibenda, haud obſcurè apparet, quàm non tollit vis Domini bonis Vaſalli illata, donec beneficium durat. *Diſſentit. Molin. ad conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 1. gloſ. 4 tit. 34. & ſeqq. Iacob. de S. Georgio tr. de feud §. & dictis Vaſalli, num. 6. cum ſeq. & Curtius Iunior tr. feudal, part. 2. partis tertiæ princip. n. 4.*

III.

Verùm etiam feudi licitè, id eſt, cum conſenſu domini alienati revocatio.

Vt enim alienatio feudi, ſine conſenſu Domini noviſſimis Divorum Impp. Lotharii & Friderici Conſtitutionibus ipſo Iure nulla eſt. *tit. 52. & 55. lib. 2. feud.* conſenſu verò Domini & agnatorum, quorum intereſt, interveniente, irrevocabiliter ſubſiſtit; ita etiam ſi ſolus dominus agnatis relictis conſentiat, alienatio valida quidèm ab initio, ex poſtfacto tamen revocari ab agnatis poteſt: quibus ea præjudicium afferre neutiquam valet. *tit. 8. §. hoc quoq; lib. 1. tit. 3. §. ſed & res. tit. 8. §. Econtra eum tit. ſeq. §. porrò tit. 26. §. Titius & tit. 39. lib. 2. Feud.* Cum enim Ius, quod habent, à primo acquirente queſierint, *t. 11. lib. 2. feud.* hoc eos privari nefas eſſet, cum alteri per alterum iniqua non debeat inferri conditio. *l. non debet alteri, 74. ff. de R. I.*

4. Fit

I V.

Fit autem revocatio, duplici modo: vno quidem Jure protimiſeos *(a)* altero verò Jure ſucceſſionis. *(b)*

a) Hoc juri divino non modo cognitum legimus *Levit. 25. v 25. text. in lib. Ruth. cap. 4.* Vbi dicitur ſi vis poſſidere partem agri, patris noſtri Elimelech, quem Naëm vendidit; jure proprietatis eme & poſſide. Elegans eſt etiam text. *in Ierem 32.* Vbi dicitur, tibi competit ex propinquitate ut emas, ſed etiam omnibus ferè gentibus, Gallicis præſertim & Italicis commune eſſe. teſtatur *Tiraq. in præfatione tr. de Retraict. lignag.* & Iuri civili veteri conſentaneum *l. 32. §. ult. ff. de leg. 2. l. 114 §. 15. cum ſeq. ff. de leg. 1.* quod quanquam poſtea ab Imppp. Valent. Theodoſ. & Arcad. per L. dudum *C. de Contrah empt.* quippe pro gravi injuria habitum, ſit abrogatum, in feudo tamen viciſſim eſt revocatum *tit 3 §. ſed etiam res, tit. 9. § porrò lib. 2. feud.* Non equidem ſine ratione & æquitate. Satis namque lugubre eſt, vendere domum, in qua defecit pater, minor crevit, & maiorum imagines non videre fixas, aut videre revulſas, *vt inquit Conſt. Imp. in l. lex quæ 22. in fin. C de adminiſt. tutor.* Dicitur προτιμήσεως à προτιμάω, quod Latinis ſignificat præfero, potius quàm προτομίσεως, latinis coniunctio, quod ex eo iure quaſi miſceantur & coëant in vnam familiam, cùm & extraneus hac ratione tranſire poſſit in familiam alienatoris, à quo tamen revocari poteſt. *Tiraq. de retraict lignag. in præfat. lib. 2. Mol. ad conſuetud. Pariſienſ. tit. 1. §. 42. num. 32* Germanis der Einſt[illegible] oder Neher kauff: *Geil. lib. 2. obſ. 19. in pr. vide Köppen deciſ 52. per totum.* (b) *tit. 26 §. Titius lib. 2. Feud. vbi Baro* [illegible] *& Feudiſtæ communiter, de quo laxo ſtylo vide Hart. Piſt. part. 2. quæſt. 5. per totum.*

V.

Jus προτιμήσεως ſtatim poſt contractum celebratum, vivente adhuc alienatore *(a)* pretio refuſo, *(b)* cum omnibus impenſis & meliorationibus *(c)* competit.

a) tit-

a) tit.26.§. Titius, tit.39. lib. 2. Feud. tit. 3. §. ſed etiam res. tit. 9 §.porrò eodem lib. Et conſiſtit vel in prohibendo. *d. §. porrò, ibi: prohibendo vel redimendo, tit.9.lib. 2. Feud. Vbi Præpoſ. Alvarott. & Matth. de Afflict. And. de Iſern. tit. 3. §. ſed & res, num 3. Vbi Matth. de Afflict. num. 8. lib. 2. Feud. Hart. Piſt. part. 2. quæſt. 11. in fin cum quæſtione ſeq. per totum.* modò totidem offerat, quotidem extraneus obtulit, aliàs extraneus plus offerens, ipſi præferendus eſſet, *per d. §. porrò:* vel in redimendo, putà ſi alienationem jam factam à poſſeſſore, refuſo pretio recuperat. *tit.3. §.1. ibi: compellatur tibi rem reſtituere tit. 26. §. Titius, lib.2.Feud.* Quanquam autem quis non prohibuerit, tamen à redimendo non arcebitur, cum hæc duo remedia ſint ab invicem ſeparata, & alterum ante, alterum verò poſt contractum perfectum demum competere incipiat. Vbi tamen traditio non eſt expectanda: perfectus quippe contractus eſt, quamprimum de merce & certo pretio conventum eſt. *§. 1. Inſt. de empt. & vendit. Tiraq. de retraict. lignag. §. 1. gloſ. 2. n. 50. cum ſeq. Diſſentit. Ioh Faber ad §. 1. Inſt. de empt. & vendit. quem refert & ſequitur Chaſ. ad conſuetud. Burgund. rubr. de retraict. §. 1. verſ. vendu in princ.* (*b*) *dict. tit. 3. §. ſed etiam res: Ibi: pro æquali pretio & tit. 26. §. Titius lib. 2. Feud.* quia regulariter quotiescunque quis conſequi aliquid vult, ad quod conſequendum neceſſe eſt aliquid fieri, id ante omnia offerri debet. *per text. in l. ſi reſiduum C. de diſtract. pig.* Adeò, ut fideiuſſoria cautio non ſufficiat, *argumento l. 4. §. ait prætor ff. de re judicata,* ut maximè in alternativis ſit plerunque debitoris electio, *l. plerunq; §. fin. ff. de jure dot.* modò pretium certum ſit & liquidum, aliàs cautio fideiuſſoria, vsque ad terminum liquidationis erit recipienda *Tiraq. de retraict. Lignag. § 3 gloſ. 3. num. 14. & ſeqq. Roſenth. de Feudis cap. 9. concluſ 90. num. 3. lit. f. Piſt. part. 2. quæſt. 12 num. 6. VVeſ conſ. 73. num. 66. cum ſeqq.* excepta compenſatione, quæ vim ſolutionis habet. *l. ſi debitor ff. qui potiores in pig. habeantur. Tiraq. & Roſenth. d. loc.* Nam & inſtrumenta Guarentigiata quæ paratam aliàs executionem habent, omnem exceptionis autoritatem reſpuunt, attamen ſolutionis exceptionem admittunt, ut uſus fori teſtatur.

Pretium porrò reſtituendum eſt idem quod vel promiſſum vel datum eſt ab emptore, quanquam emptor plus iuſto dederit, *dict. §. ſed etiam res, ibi. pro æquali pretio, & dict. §. porrò lib. 2. feud. ubi Matth. de Afflict. Alvarott. Præpoſ. & Feudiſtæ communiter, leg. fin. C. de Iure Emph. ibi: quantum ſibi ab aliis offertur, cap. potuit, extra, locati.* Etenim beneficium hoc προτιμήσεως ſine damno emptoris eſt exaudiendum *argumento l. 2. §. ne quis à principe, ff. ne quid in loco publ.* niſi fraus & colluſio intervenisſet, tunc enim ad veram rei æſtimationem recurrendum rectè docent *Alvarott, & alii ſuprà allegati, quos ſequitur Baro* Schenck *ibidem. Köppen deciſ. 54. num. 47. Tiraq. de retract. Ling. §. 1. gloſ. 18. num. 1. cum ſeqq. Molin. ad conſuetud. Pariſ. §. 13. gloſ. 5. num. 22. VVeſenbec. conſil. 73. num. 25. Köppen deciſ. 52. num. 18. Piſt. part. 2. quæſt. 12. num. 12. in fin.* Ex his omnibus patet abundè ius προτιμήσεως non habere locum, ſi feudum lucrativo titulo ſit alienatum, ſiquidem pretii mentionem duntaxat faciant *textus allegati*, quod etiam non obſcurè *per dict. § ſed etiam res, ubi infeudatio ab alienatione prohibita excipitur,* probatur. Id quod animadvertit *Matth. de Afflict. ibidem num. 1. Schrader. part. 2. cap. 7. num. 33.* (c) impenſas intellige neceſſarias & utiles, præſertim eas quæ animo & fine conſervandorum ædificiorum fiunt, die Güetter im Tach vnd Fach zuhalten *l. intra utile §. fin. ff. de minorib. de quib. vide latè Tiraq.* de retractu conventionali *§. 1. gloſ. 1. per tot. Geil. 2. obſervat. 19. num. 9.* quare è re agnati fore, ſi ſtatim emptori animum ſuum de poſthac retrahendo feudo aperiat Vaſallus, & à ſumptuum collocatione dehortetur cautè tradit *Chaſſ. in conſuetut. Burgund. rubr. 10. in verbo les fraitz num. 3. Geil. dict. loco.* Emptor autem hìc providus erit, ne prius à poſſeſſione rei recedat, donec ipſi de ſumptibus ſit ſatisfactum, hoc enim bonæ fidei poſſeſſor, nulla alia ratione, quàm exceptione doli mali repetere valet *per text. in l. Paulus 14. ff. de doli mali & metus except. l. ſi quis ſciens C. de rei vindicat.*

V I.

Hoc jus conſanguineo *(a)* eóque tàm filio *(b)* quam agnato *(c)* competit.

a) Etenim hoc ius non competit ratione rei, ſed perſonæ, cuius qualitas, quæ eſt conſanguinitas, ob quam competit, cedi non poteſt, eius ratio inter alias hæc affertur præcipua, ne res exeat de genere & familia, *argumento l. pater § fundum Titianum, ibi. de nomine noſtro nunquam exeat ff. de leg.* 2. cui concordat lex antiqua Locrorum, *cuius autoritate bona præſertim avita non potuerunt alienari, niſi de evidenti calamitate ſuperveniente docuiſſent.* Non equidem conſuetudo dedit Ius gratificandi eligendi alterum, ſed jus retinendi pro ſe & menſæ ſuæ uniendi, *ut loquitur Molin. conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 13. gloſ. 1. num. 23.* Ad exemplum Iuris prælationis, quod mulier habet in bonis mariti: illud enim non eſt ceſſibile, cùm nec ad heredes (ſuis exceptis) ſit tranſmiſſibile *l. aſſiduis 12. §. 1. verſ. exceptis. C. qui potiores in pig. Novell 91.* quod argumentum negativè tantum procedere, non autem affirmativè, docet *Zoanettus tractat. de pact. retrovendit. numer. 7. per l. mulier. §. ex diſſe ff. de iur. dot. Molin. dict. l. Tiraq. de retract. lig. §. 26. gloſ. 1. num. 41. cum ſequentibus Guido Papa queſt. 411. quem allegat & ſequitur Chaſſ. in conſuetud. Burgund. rubr. des cenſes, 11. §. 1.* Verbo retenue *in pr.* adde, hoc beneficium eſſe conſuetudine introductum, atque ſic de perſona ad perſonam non extendendum, cum res facilè ad ſuam naturam redeat *l. ſi unus, §. pactus ff de pact. l. 12 ff. de Iudic. Diſſentit Roſenthal cap. 9. concluſ 92. lit. b. (b) tit. 26. §. Titius, vs. quod ſi Titius, lib. 2. feud.* quod procedit in feudo tàm novo, quam ex pacto & providentia, *arguit hoc definitio feudi,* dum ab initio ſtatim confertur ea lege, ut ad acquirentem, eiusque heredes maſculos, deſcendat in infinitum. *tit. 1.*

 §. 1. lib.

§. 1. *lib. 1. & tit. 14. §. 1. ibi: per inveſtituram patris & avi & tit. 25. lib. 2. feud.* Cui accedit utile dominium, quod Vaſallus pater habet, directo apud dominum reſidente; cuius effectus non in alienatione poſitus eſt, ſed in uſufructu, aliisque Iuribus & acceſſionibus: non dicam feudum redolere naturam rerum reſtitutioni ſubjectarum, quales modi alienationi haud ſunt obnoxiæ, *argumento auth. res quæ ſubjacent C. comunia de leg. & fideic.* quibus inſuper prohibitio Impp. Lotharii & Friderici *tit. 52. & 55. lib. 2. feud.* accedit. Et hanc ſententiam rationabilem dicit *Andr. de Iſer. in cap. 1. §. quid ergò, de inveſtitura de re aliena fact.* communem teſtatur Alvarott. *tit. quemadmodum feudum ad filiam pertin.* veriſſimam & apud Dd. noſtros, indubitatam, ex ſententia Soc, *refert Clarus §. feudum quæſt. 41. num. 2, Vide Hart. Piſt. part. 2. quæſt. 5. per totum. Camerar. ad cap Imperialem pag. 24. Baronem* Schenck *ad d. cap. Titius. Köppen deciſ. 24. num. 19. cum ſeqq. Cacheran. deciſ. Pedemont. 175. num. 2. Roſenth. de feud. cap. 9. concluſ. 98. (c) tit. 3. §. ſed etiam res cap. porrò tit. 9. & cap. Titius lib. 2. feud.* quod negat Curt. *part. 4. num. 151. circa finem.* Hoc intellige de feudo ex pacto & providentia, non autem novo, cum in eo nullum prorſus jus habeant acquiſitum *tit. 8. lib. 1. & tit. 11. lib. 2. feud.* niſi ex pacto in eos ſit tranſitorium *Roſenth. cap. 9. concluſ. 87. num. 7.* Inter feudum autem hereditarium, & illud quod eſt ex pacto & providentia, non diſtinguunt ſaniores, quippe cum feudi hereditarii ſpecies jure feudali ſit incognita, & ab Interpretib. duntaxat excogitata, contra naturam feudi, quæ liberam alienandi facultatem adimit, *tit. 8. lib. 1. tit. 52. & 55. lib. 2. feud.* niſi feudum ſit merè hereditarium: illud enim quin per omnia qualitatem hereditariam habeat, nemo facile dubitabit, *Covarr. var. reſol. 18. num. 4. v. octavò quæritur. Piſt. part. 2. quæſt. 14. Clarus §. feud. quæſt. 91. Köppen. d. deciſ. 54. num. 51.* Vbi de feudo ex pacto & providentia nullum eſſe dubium rectè docet, *per tit. 9. §. porrò & tit. 3. §. ſed etiam res, lib. 2. feud.* quos equidem textus de Iure πρωτομήσεως loqui nemo non videt, utq; adeò ſententiæ *Curt. Iunioris*, qui hoc Agnatis denegat, *in d. part. 4. num. 151. Iſern. Alvarott. Prepoſ.* & aliorum, quos longa ſe-

ga ſerie, recenſet *Roſenthal cap. 9. concluſ. 88. num. 5. cum ſeqq.* Ad dictum cap. Titius, cuius rationem diverſitatis aſſignat, *Alvarott. d. loco. Iacob. de S. Georg. §. & cum pacto de non alienando. num. 44. in fin.* accedere non ſit tutum. *Gail. lib. 2. obſ. 19. num. 13 VVeſenb. conſ. 73. num. 41. Tiraq. de retract. Lig. § 1. gloſſ. 10. num. 3.* Sed nec illa *Sonsbeck part. 13. num. 116.* diſtinctio, inter alienationem in remotiorem & in extraneum factam, ſuſtineri poteſt. *per eundem § porrò & §. 1. tit. 3. lib. 2. feud. ibi: niſi tibi &c.*

VII.

Sed & Domino (*a*) via ad redimendum aperta eſt, & tunc etiam ſi feudum ex ſtatuto vel conventione alicujus loci, ſit alienabile, (*b*) in concurſu tamen ei tàm filius quàm agnatus (*c*) præfertur.

a) Quamvis enim alienatio feudi, ſine conſenſu domini, noviſſimis Imperatorum Lotharii & Frider. conſtitutionibus ſit prorſus interdicta, agnatis tamen eſt ea permiſſa, *tit. 39. lib. 2. feud.* ſiquidem potius refutationis, quam alienationis naturam ſapiat. *d. tit. 39. in fin. princ. lib. 2. feud. Iacob. de S. Georg. §. & cum pacto de non alienando verſ. & advertite num. 17. Piſt. part. 2. quæſt. 6. Alvarott. ad d. tit. 39. vbi Feudiſtæ communiter.* Quod competat Ius προτιμήσεως domino, probatur *per tit. 9. §. porrò lib. 2. Feud Mol. ad Conſ Pariſ. tit. 1. §. 13. gloſſ 10. n. 5. VVeſenb. conſ. 73. num. 41. Köppen. d. deciſ. 52. num. 5.* (*b*) *d. tit. 9 §. porrò lib. 2. feud.* Licet namqne hodie ſit ille textus per dictas conſtitutiones Impp. *Loth. & Frid. tit 52. & 55 lib. 2. feud.* correctus, ratio tamen in eo non intelligitur correcta. Negat hoc Schrad. *de feudis part. 8. cap. 7. num. 2. cum ſeq.* vt benè monet Alvarott. *ad d §. porrò num. 5.* (*c*) extraneo quidem, tàm ob conſolidationem directi & utilis dominii, quàm ratione intereſſe domini & ſubditorum, *ut eleganter tradit Molin. ad conſ. Pariſ. tit. 1. §. 13. gloſſ. 10. num. 5. per argumentum l. fin. C. de Iur. Emph.* quem refert & ſequitur *VVeſenb. conſ. 73. num. 42.* Filio verò cum eo concurrenti poſtponitur in feudo, tàm novo quàm antiquo, cum in utroque ſit per inveſtituram

feudi comprehenſus: Agnato verò tunc demum, ſi feudum eſt paternum. *d. §. porrò in fin. vbi Belviſ. verſ. item nota, quod agnati præferuntur, num. 5 Iſern. in fin. Præpoſ. ibidem* niſi vel ſtatuto vel conſuetudine, vel ex tenore primæ inveſtituræ ſpem ſuccedendi habeat, tunc enim etiam in novo perfertur domino. *Præpoſ. d. loco. Roſenth. cap. 9 concluſ. 87. num. 7. arg ab Emph. ad feudum* hic nihil obſtante, cum in hoc caſu diſpar ſit utriuſque ratio, *Alvarott. & Iſern. in d. §. porrò. Molin. ad Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 15. num. 3. VVeſenbec. dict. conſ. 73. num. 43. Piſt. part. 2. quæſt. 11.* Diverſa ab hoc eſt ratio in pacto de retrovendendo, ubi fores ad retrahendum non patent amplius, poſtquam emptor alteri feudum diſtraxerit: adeò ut Vaſallus à Domino præventus, hac ratione illud repetere nequeat, cum pactum de retrovendendo, rem ipſam non afficiat, ſed actio perſonalis ad intereſſe competat ex empto vel præſcriptis verbis *l. 2. C. de pact. inter empt. & vend.* quod, non eſt in pacto à lege vel teſtatore conſtituto, illud. n. rem afficit, *vide Geil. lib 2. obſ. 16. Mynſ. 6. obſ. 96. Diſſentit Mol. ad Conſ. Pariſ. tit. 1. § 30. n. 116. Tiraq. de retract. conventionali §. 1. gloſ. 7. num. 6. cum ſeqq.* Quid verò cenſes, ſi dominus Vaſallo petenti feudi vendendi facultatem conceſſerit, an nihilominus retrahet? quod affirmatur verius, ſecundum *Mol. ad conſ. Pariſ. tit. 1. § 13 gloſ 1. num. 8. cum ſeqq. Tiraq. de retract. Lig. §. 1. gloſ. 9. Roſenth. cap. 9. concluſ. 91, num. 9.*

VIII.

Locum habet ſive in extraneum ſive in remotiorem (*a*) facta ſit alienatio, quamvis in loco, ubi feudum eſt ſitum, in rebus non feudalibus non ſit vſitatum. (*b*)

a) tit. 3. §. 1. ibi: tibi vel alii proximiori, ubi nota diſiunctivam dictionem (vel) eſſe diſiunctivam non poteſtatis, verum ordinis. *tit. 26. §. Titius, & tit. 39. lib. 2. feud. De quo vide Piſt. part. 2. quæſt. 6. Iacob. de S. Georg. dict. 1.*

Zaſi-

Zaſ. part. 9. n. 25. Schrad. de feud.part.1. quæſt. 4. num. 11. Roſenth. de feudis, cap. 9. concluſ. 18. num. 6. (*b*) non enim hoc Ius, ex conſuetudine & provinciarum moribus deſcendit, ſed ex peculiari quodam iure πϱολημήσεως, conſuetudine feudali introducto, *Piſt. part. 2. quæſt. 11. n. 9. Roſenth. cap. 9. concluſ. 17. num. 3. Tiraq. de retract. Lig. tit. 1. §. 13. gloſ. 4. num. 13. in fin.* vbi retractum ex genuina feudi natura deſcendere tradit.

I X.

Caveat autem ſibi redimens, ne poſſeſſionem propria autoritate (*a*) capiat, ſed condictione ex moribus (*b*) à quocunque poſſeſſore (*c*) repetat.

a) In retractu enim non eſt inchoandum ab executione, *leg. 1. Cod. de execut. rei jud.* ſiquidem non niſi per viam actionis competat. *Molin. ad Conſuetud. Pariſ. lib. 1. §. 13. gloſ. 3. VVeſenbec. dict. conſil. 73. num. 79.* Ideò nimirum iudiciorum vigor, iuriſqúe publici tutela in medio poſita eſt, ne quis ipſe ſibi permittere valeat vltionem, *l. nullus, Cod. de Iudæis l. 1. Cod. ne quis in propr. ſua cauſ. L. qui jurisdict. ff. de juriſd. om. jud.* quod in poſſeſſione eò magis obtinet, quippe quæ nemini niſi via ordinaria, & cauſæ cognitione præcedente, auferri poteſt. *l. 1. §. 1. ibi: prætoria poteſtate. ff. ſi mulier ventris nomine in poſſeſ. mitt. l. ſi pacto 14. Cod. de pactis*, utut ea ſit injuſta, *cap. ex literis, de reſt. ſpoliat.* Hoc uſus fori quotidianus abundè demonſtrat, ubi in poſſeſſorio judicio plerunque ſuccumbere videmus ruſticos, qui à nobilibus & dominis ſuis, indebitis ſæpenumerò ſervitiis ſive collectis, aliquot vicibus, ſine eorum contradictione fuerunt onerati, & poſtea dominis ea viciſſim exigentib. intempeſtivè reſiſtunt, ſuam quaſi poſſeſſionem libertatis allegantes, quos tamen in petitorio ad quod per ſen-

ſæpè in cauſa obtenturos planè conſiderem, niſi vel inopi aexcluſi, vel ſordida avaritia, ſæpè quoque dubio litis eventu retraherentur, *vide Iacob. de S. Georg. tract. de Homag. num. 37.* *(b)* quoties enim à lege ſeu conſuetudine, jus novum inducitur, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum eſt. *l. 1. ff. de condict. ex lege* *(c)* Eſt enim hæc actio non merè perſonalis, cum nullus contractus vel quaſi intervenerit inter emptorem & conſanguineum, ex quo naſci poſſit actio perſonalis, *§. 1. Inſt. de actionib.* ſed in rem ſcripta, cum ſequatur poſſeſſorem *tit. 3. §. 1. & tit. 26. §. Titius, lib. 2. Feud. arg. l. 3. §. 1. ad exhibend. l. metum §. fin. ff. quod metus cauſ.* Quanquam non deſint, qui hoc jus retractus merè perſonale, atque ſic rem non afficere ſtatuunt, quibus non ſuffragandum exiſtimo. *Tiraq. de retract. Lig. §. 8. gloſ. 5. num. 6. Chaſ. rub. 10. tit. de retract. §. 11.* verbo On detenteur. *num. 2. Geil. 2. Obſ. 19. Marant. diſp 9 num. 2.* Huic conſectarium eſt, condictionem hanc ſecundum genuinam actionum perſonalium in rem ſcriptarum naturam, in loco vel rei venditæ, vel domicilii, inſtitui poſſe. *cap. ex parte, extra de foro compet. Adde legem ult. C. ubi in rem actio &c. Tiraq. d. l. num 9,* adeò ut ſi res ſub diverſis juriſdictionibus ſita, ſtatim omnium ſupremus adiri valeat, ne cauſſa continentiæ dividatur, quod probat *Geil. lib. 1. obſ. 32. in princ. Mynſ. cent. 1. obſ. 4. Roſenth. part. 9. concluſ. 94. num. 19.*

X.

Denegatur hæc actio his qui conſenſerunt *(a)* vel qui per annum *(b)* tacuerunt. *(c)*

a) tit. 5. § præterea, lib. 1. & tit. 26 §. Titius, lib. 2. Feud. Piſt. part. 2. quæſt. 6. num. 71. Tiraq. de retract. Lig. §. 1. gloſ. 9. num. 122. ſive præceſſerit alienationem conſenſus, ſive ſecutus ſit, *per tit. 39. lib. 2. Feud.* Nullum enim ex defectu conſenſus tantum, illud ſuperveniente conſenſu retrò validatur *l. fin. C. ad SC. Maced. Geil. 1. Obſ. 47. in fin.* Et actus favore certæ alicuius perſonæ nullus, ratihabitione ſubſequente confirmatur. *VVeſenb. conſ 66. num 8.* Quod fallit, ſi conſenſus pro forma, ſtatim tempore contractus vel actus requiritur. *De quo*

Geil. 1. obſ. 124. Tunc enim rati habitio actum non convalidat, *l. obſervare, in fin ff. de offic. proconſulis. Alvarott. ad d. tit. 39. lib. 2. feud.* *(b)* qui incipit à tempore celebrati contractus, non autem traditionis. Æquum eſt enim, ut ab eo tempore curſus computetur, à quo agendi facultas alicui conceditur. *l. 1. §. fin. C. de annal except. Auth. niſi tricennale, C. de bon mater. adde d. §. porrò. tit. 9. lib. 2. feud. Vbi Matth. de Afflict. Tiraq. de retract. Lig. §. 1. gloſ. 10. num. 112. Piſt. part. 2. quæſt. 10. num. 23.* *(c)* Modò ſciverint & quidem cum omnibus ſuis qualitatibus, inhærentibus contractui, non autem extra eum verſantibus. Regulariter enim is ſcire creditur, qui verè & certò ſcit. *l. in toto, ibi: niſi vera & certa ſcientia, ff. de R. I. Cacher. deciſ. 176. Tiraq. de retract. §. 36. gloſ. 11. num. 30. & ſeq. Molin. tit. 1. § 13. gloſ 12. num. 2. Piſt. part. 2. quæſt. 10. num. 25. cum ſeq.* Et hoc annuum tempus habet locum, nulla extranei vel remotioris diſtinctione habita, cum eadem ſit utriuſque ratio. Multi quidem exiſtimant, jus προτιμήσεως lapſu anni non præſcribi, ſi in extraneum ſit facta alienatio, ſecus ſi in remotiorem, cujus rationem diverſitatis *tradit Alvarott. in §. 1. tit. 13. & tit. 26. §. Titius, n. 4. lib. 2. Feud. Belviſ. ad d. §. Titius, Zaſ. part. 9. n. 29. Tiraq. de retractu §. 1. gloſ. 10. n. 6. VVeſenb. conſ. 66. num. 20. Curt. part. 4. num. 53.* Verùm contrarium perſpicuè docet *Piſt. part. 2. quæſt. 5.* Ignoranti porrò annuum hoc tempus non currit, *d. §. porrò, ibi: ex quo ſciverit. tit. 9. lib. 2. feud.* modò non affectet ignorantiam, *arg l. 1. §. 1 ibi: ſed ſi id egit emptor, ne cognoſcat, &c. ff. de actionib. empti,* vel non ſit craſſa & ſupina, hæc enim pro ſcientia habetur, ut notat *gloſ. in Clement. 1. in verbo ſcienter, de conſanguin. & affin.* cum paria ſint ſcire & ſcire debere *l. 5. ff. ſi certum petatur,* præſertim in inductis pro forma. *Everh. in locis Topic. loco à defectu formæ,* ut maximè aliàs ignorantia,

dus *in d.l.7. Mulieres & ruſtici vadunt ad ſylvas pro lignis, & in civitatem pro indulgentiis; ita etiam debent adire Advocatos, & Iuriſperitos pro conſiliis. Quod memoria dignum.* Spatio triginta annorum, qui tacuit, excluditur indiſtinctè, ſive ſit ignorans, *d §. porrò. verſ. præſcriptione autem, tit.9. lib. 2.feud.* Ad ſimilitudinem omnium fere perſonalium actionum & jurium *l.ſicut Cod. de præſcript trigint. vel. 40.ann.* Adeò, ut ne quidem ex clauſula Edicti Prætoris,ſi qua mihi iuſta cauſa &c. *l. 1. in fin.ff. ex quib. cauſ. maior. &c.* reſtitutionis beneficium implorare valeat, *per dict.l.ſicut ibi abſentia non defendit,& l.ſicut, ibi: pleniſſimam munitionem, C. eodem.* Pleniſſima autem eſt ea, quando de nullo obſtaculo quæſtio poteſt refricari; à qua tamen ſententia Dd. recedunt communiter, *Vide Tiraq. §.15.gloſ.4.num.36.& num. 41. Piſt.part. 2. quæſt.12.num.40.* qui num. 44. docet, hunc curſum ſola extrajudiciali interpellatione non interrumpi, quod cum jure noſtro optimè convenit, *Tiraq. de retraict. Lig. §. 8. gloſ. 2. num. 1. Chaſſ. ad Conſuetud. Burgund. rubr. 10.de retraict. §. 1. verbo Dedans.*

X I.

Conſenſus autem non ſufficit tacitus (*a*) verùm expreſſus requiritur: nec talis, qui alieno (*b*) ſit nomine, ſed qui ſuo.

a) Tacens enim quamlibet conſcius, non tamen habetur pro conſentiente, in caſu quo ius ipſius amittitur *l. filiusfam. §. invitus. ff. de procuratorib.* cùm ſit medium inter affirmationem & negationem, & vel ideò paſſus eſt venire, quod ſciebat ius redimendi ſibi poſt alienationem adhuc durare, *l. 8.§. non videtur, ff. quibus modis pig. vel hyp. ſolv. Tiraq. de retraict. Lig. §. 1. gloſ. 9. num.146. cum ſequentibus Iacob. de S. Georg. §. & cum pacta de non alienando. num. 20. Piſt. part. 2. quæſt. 7. num. 1. cum ſeqq.* niſi fraudulenter tacuiſſet, de quo eſt l. ſi ſine *C. ad S C. Velleian. Tiraq. dict. loco num. 154.* (*b*) quales ſunt, Magiſtratus & tutores,

tores, qui ratione officii conſentiunt, hi enim pro conſentientibus non habentur. *arg. l. cum quædam C. de adminiſt. tut. vel curat. §. ſi tutor, Inſt. de inoffic. teſt.* cum officium ſuum eis non debeat eſſe damnoſum, *l. ſed & ſi quis. ff. quemadmodum teſtamenta aper. Köppen deciſ. 54. num. 73. Tiraq. §. 1. gloſ. 9. num. 139. Piſt. part. 2 quæſt. 7. num. 11.* Quid vero dicendum, ſi agnatus requiſitus emere noluit, an pro conſentiente habendus, atque ſic à Iure retrahendi arcendus? Affirmatur tunc, ſi cum certa pretii deſignatione, & emptoris mentione facta eſt requiſitio, & is expreſſe recuſavit, aliàs ſecùs, *Piſt. dict. quæſt. 12. num. 62. cum ſequentibus VVeſenbec. conſil. 73. num. 48. Molin. ad conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 13. gloſ. 1. num. 6. Tiraq. de retract. Lig. §. 1. gloſ. 9. num. 144.*

XII.

Huc uſque de primo modo: Alter qui huic ſuccedit eſt revocatio, quæ jure ſucceſſionis vi inveſtituræ (*a*) competit, & defuncto demum alienatore (*b*) ſine pretii refuſione (*c*) locum habet.

a) Duplici enim modo feudum revocatur, aut jure ſucceſſionis, quando per mortem alienatoris, cuius ius tunc exſpirat, proximo ſuccedendi fores aperiuntur: aut jure πεϛλμήστως, quando is, qui proximam ab alienatore ſuccedendi ſpem habet, & mortis tempus, tentus vel amore feudi opulenti, vel egeſtate preſſus expectare nequit. Ex-

ff. locati (*b*) quia morte demum alienatoris jus ejus exſpirat, è contra proximioris in ordine incipit, *tit. 26. §. Titius in princ. lib. 2. feud.* (*c*) reſoluto enim jure datoris, reſolvitur jus acceptoris, atque adeò primus contractus penitùs ad nihilum redigitur *tit. 9 §. ſi verò, lib. 2 feud.*

X I I I.

Competit omnibus iis, quibus jus πϱοτιμήσεως competere in præcedentibus dictum eſt. Ergò tam filio (*a*) quam agnato. (*b*)

a) Cum enim filius ſit proximus agnatus *l. filius, 12. ff. de ſuis & legitimis, §. ſi quis igitur deſcen. Auth. de heredit. quæ ab inteſt. veniunt. collatione 9. tit. 1.* Ecquid obſtat, quo minus revocaret feudum alienatum, ſiquidem proximi agnati iure gaudeat, *tit. 39. lib. 2. Feud. Vbi Matth. de Afflictis & Feudiſt. pleriq; Belviſ. ad §. hoc quoq; verſ. tamen diſtingue, tit. 8. lib. 1. feud.* Et quanquam filius teneatur præſtare factum defuncti, *leg. cum à matre C. de rei vind.* illud tamen non procedit, quando factum defuncti tendit ad defraudandum filium beneficio, quod ei vel à lege, vel ab alio quæſitum eſt. Videmus .n. filium à patre, vel prorſus præteritum in teſtamento, vel in legitima parte, contra pietatis officium, à patre læſum, inofficioſi querelam, vel actionem ad ſupplementum inſtituere poſſe, qui tamen ex perſona patris illud acquirit. *l. 7. ff. unde cognati l. cum ratio ff. de bonis damnat.* Huc confer omnia ea, quæ ſupra *§. 6. lit. b.* pluribus dicta ſunt (*b*) *tit. 26. §. Titius, & tit. 39. lib. 2. Feud.* niſi heres ſit in allodialib. Cùm enim hoc caſu repræſentet perſonam defuncti, & una cum eo perſona efficiatur *l. 62. ff. de R. I.* Ideo revocare non poteſt, *arg. l. cum à matre C. de rei vindicat. Vide Tiraq. de retraict. Lig. §. 1. gloſ. 9. num 50. Piſt. part. 2. q. 6. num. 75. Belviſ. in d. §. Titius. Iacobin. de S. Georgio §. & cū pacto n. 43. Alvarott. in §. Hic quoq; verſ. ad filios autem de ſucceſſione feud. Curtius Iunior part. 4. num. 148.* Et hæc ſententia procedit adeò, ut ne quidem Inventarii cōfectione, jus revocandi ſalvum retinere queat. Inventarium namque hoc ſolummodò operatur, ne heres ultra vires hereditarias, teneatur creditori-

bus,

bus, & ne ipſe damnum capiat, non autem ut heres aliquatenus eſſe deſinat, uti ex *l. fin. C. de jure delib.* apparet. Modò hereditas ſit ſolvendo, & Vaſallus ex ea compenſationem feudi alienati conſequi valeat, aliàs revocatoria experietur ad eam uſque partem, quæ ipſi abeſt, quia Inventarium in favorem heredum eſt introductum. *l. fin. C. de jur. delib.* Vnde in æſtimanda portione hereditaria, modò quotitatis, modò quantitatis eſt inſtituenda ratio, ſecundum quod magis prodeſt agnato, ne quod favore eius introductum, in eius torqueatur odium, vulgata, *l. quod favore, C. de LL. Reſenth. de feud. cap. 9. concluſ. 72. Diſſentit Piſt. part. 2. quæſt. 9. num. 16. cum ſeqq.*

XIV.

Sive in extraneum, ſive remotiorem *(a)* ſit facta alienatio, ut tamen ordo in revocando proximitatis *(b)* ſervetur.

a) tit. 3. §. 1. & tit. 26. §. Titius, lib. 2. feud. Huc refer ea quæ ſuprà §. 8. *lit. a. dicta ſunt, adde Piſt. part. 2. quæſt. 6. num. 20. (b) d. t. 3. §. 1. ibi: tibi vel alii proximiori &c. lib. 2. feud.* proximiori autem nolenti, ſequens in ordine ſtatim ſuccedit, autoritate ſucceſſorii Edicti, quod tàm in hoc, quàm priori revocationis modo, locum habere docet *Matth. de Afflict. in §. ſed etiam res. n. 2. tit. 3. feud. lib. 2. & § porrò num. 81. tit. 9. d. lib. Sonsbec. part. 13. num. 119. Cacher. deciſ. Pedemont. 177. n. 4. verſ.* hinc fit, *per d. §.* Titius, ubi certè agnati ad revocationem admittuntur, filiis quantumvis adhuc extantibus, qui fortaſſis revocare aut noluerunt, aut neglexerunt, ubi arguit *Roſenth. c. 9 concluſ. 88. n. 8.* Cum proximioribus autem fratrum filii, jure repræſentationis admittuntur *per tit. 11. lib. 2. Feud Piſt. lib. 1. quæſt. 23. num. 3. cum ſeq. VVeſenb. conſ. 15. n. 1. Schneid. de feud. part. 6. n. 10. Thoming. deciſ. 45. n. 18. Köppen. deciſ. 54. r. 61.*

ſunt. Parentis verò & agnatorum conſenſus ipſis heredibus non nocet, ſiquidem quilibet ex propria ſua perſona feudum capiat. Non ergò unius conſenſus præiudicabit aliis, *arg. l. factum 151. ff. de R. I.* Imò pluribus in uno eodemque gradu exiſtentibus, conſentientes pro rata non damnum afferent. *Zaſ. part. 9. n. 25.* Ex quo enim omnium intereſt, omnium quoque conſenſus requiritur *l. fin. C. de autor. præſt. Vide Zaſ. d. l. Iacobin. de S. Georg. §. & cum pact. de non alienando n. 32.* Hinc feudum ab heredibus proximioris, cui eſt facta alienatio, ante venditorem decedentis, à ſequenti proximiore revocari poteſt, *Piſt. part 2. quæſt. 6.* *(b)* Regulariter enim iura, quibus certum non eſt præfixum tempus, ſpatio 30. ann. finiuntur *l. ſicut C. de praeſcript. 30. vel 40. an.* Non deſunt qui iterum hìc diſtinguunt inter extraneum & remotiorem: hunc anno excludi aiunt, à tempore alienationis ſecundum quoſdam, ſecundum alios verò traditionis, *per cap. Titius ibi. per annum:* illum triginta an. ſpatio, per *d. l. ſicut & l. fin. C. de praeſcript. 30.* Verùm *d. cap. Titius verſ. quod ſi Titius &c.* de utroque loqui, & verba finalia eius capituli ad poſterius capituli membrum pertinere, illudquè à tempore primùm mortis alienatoris incipere, argutè docet *Piſt, part. 2 quæſt. 5. & quæſt. 8. per totum.* Vt autem ſuprà conſenſus unius non nocet alteri; ita nec præſcriptio ſequentibus in ordine erit obſtaculo, ſiquidem ſequentes vivo adhuc proximiore, contra quem eſt præſcriptum, jus revocandi non habuerint, non autem valenti agere non currat præſcriptio, *adde text. tit. 8. §. hoc quoq; ibi: nihilominus revertitur ad me &c. lib. 1. feud. ubi Iſern. & Alvarott. et Matth. de Afflict. in cap. Titius num. 7. Vide Piſt part. 2 quæſt. 8. num. 43. cum ſeqq. Köppen deciſ. 54. num. 98.*

COROLLARIA.

I.

An ſententia contra poſſeſſorem feudi lata, ipſius quoque ſucceſſori non citato, præjudicare poſſit. Neg.

II.

An Nobilis, cuius ſubditi longiſſimo tempore i-

verunt ad molendinum domini, jus cogendi eos poſthac ſuum accedendi molendinum; nec aliud, acquirat? Neg.

EPIGRAMMA

Ad Dn.

MARTINVM GALLIVM,

AMICUM SUUM

Et Commenſalem æviterno adfectu æſtimandum, de Revocatione feudi diſputantem.

Ergone quem toties meminit VVITEBERGA *locutum;*
Crebrâ & juridicus daphnide mulſit agon;
Quem rubro indutum dudum invectare galôro
Sulpitiûm ordinibus ſella curulis amat.
Te TUBIIS *redhibet cathedris,* MARTINE, *fameſcens*
Inhibitura tuo nectar ab ore THEMIS?
Obſtupuiſſe queam, niſi me erectura BOCERI
Papinianéa illa invidioſa DICÆ
Iuridicina foret, toties mentita Periclem
Lingua, tot ingeniis ſufficiens Genius.
Non habet hic tyro, ſed habet veteranus arenam,
Hic in quâ ad ſatiem ſe probet omnis habet.
Omne quod hic audit, ſtupet, & ſtupet omne quod audit,
Quod cupit omne capit, quod capit omne cupit.
Grator ad hoc ſpeculum quod ſe tua ritè politi
Geſtiat ingenii cura polire magis.
Enthea in hoc ſpectas quæ nunc ſpectacula, quondam
In te ſpectabit florida Poſteritas.